

XLIV. Nihil iccirco jam à veteribus prolatum est, quod huic definitioni non insit, sive jam virtutem respiciant, sive prudentiam, sive sapientiam, sive voluptatem cum honestate conjunctam, sive etiam externa bona.

XLV. Illud discrimen habetur, quod nos *χρησιμῶν*; illi *κτῆσιμῶν*; Nos *ἐνέργειαν*, illi *ἔξιν* posuerint 1. Eth. c. 8. Voluptas animi actiones virtutum tanquam propria affectio perpetuo comitatur, iisque per se inest. Bona externa etsi non sunt principaliter vitæ beatæ causa, ad felicitatem tamen requiruntur, vel tanquam instrumenta, vel tanquam ornamenta, quæ possessionem ejus illustrem reddant.

XLVI. De Instrumentis ita Philosophus: Fieri non potest, aut certe non est facile honesta agere eum, qui divitijs seu alijs externis bonis destituitur. Et lib. 7. Pol. c. 13. Ad honestè vivendum opus est rerum aliqua copia. De ornamentis verò subjicit: Quibusdam orbati contaminant felicitatem, veluti destituti nobilitate, bona sobole, pulchritudine, & id genus alijs.

XLVII. Atque hæc quoque de quaestione *τίσι* de definitione S. B. tam nominali, quam reali sufficient. Nunc paucula etiam de Summo hominis Malo sunt subjicienda, ut opposita juxta se posita magis elucescant.

XLVIII. Sive autem quis illud *ἀθλιότητα* miseriam, sive *κακοδαίμονίαν* infelicitatem, sive denique *τὸ ἀκρότατον τῶν φευκτῶν* extremum & summum malum omnium, quæ fugienda sunt homini, nominet, parum refert.

XLIX. Definitur, quod nihil aliud sit, quam muneris functio animæ rationalis secundum deterrimum ac maxime consummatum vitium in vita perfecta.

L. In qua definitione duo nobis sunt considerata: Genus & differentia specifica. Utramque partem non obscure indicavit Aristot. vi argumenti ducti à Contrariis 1. Eth. 10. ubi inquit: Actiones virtutis esse beatitudinis do-